



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Dub. I. Vtrum omnes Angeli fuerint creati in gratia, & an propria dispositione , quaue me[n]sura vel proportione eam acquisiuerint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

## QVÆSTIO VI.

De Bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, statu beatitudinis & damnationis, studiisque bonis & malis Angelorum.

S. Thomas I. p. q. 62. 63. 64. 109. 111. 112. 113. 114.

**A**bsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. *Utrum omnes Angeli fuerint creati in gratia, & an propria dispositione, quæ mensura vel proportione eam acquirerint.* II. *De via Angeli boni: quæ nimirum ratione, quotque & quibus instantibus pervenerit ad gloriam.* III. *De via & lapsu Angeli mali; ac speciatim quando, quanam, cuius suasu, quo ordine, & quotnam Angeli peccarint.* IV. *Qualenam fuerit, aut esse potuerit primum Angelorum peccatum, tum ex parte obiecti, tum ratione subiecti.* V. *De statu demonum quantum ad naturalia, speciatim quæ sit causa obdurationis demonum.* VI. *De statu demonum, quantum ad eorundem pœnam: speciatim quæ ratione, quando, & ubi per ignem puniantur.* VII. *De pravis demonum studiis & infestationibus, ad homines seducendos & perdendos.* VIII. *De presidio, ministerio & custodia bonorum Angelorum, erga homines aliasque res creatas.*

## DUBIVM I.

*Utrum omnes Angeli fuerint creati in gratia & gloria; & an propria dispositione, quæ mensura vel proportione gratiam acquirerint.*

S. Thom. I. p. q. 62. a. 1. 2. 3. & 6.

**E**gimus hæc de Angelis secundum Esse naturæ spectatis; sequitur nunc, ut iuxta distributionem & ordinem initio constitutum, de Esse morali, adeoque de bonitate & malitia, merito & demerito, præmio & pœna, studiisque bonis & malis eorundem agamus: sicut etiam Sanctus Thomas postquam de Esse naturali eorundem egit, à quæstione 50. usque ad 62. hinc deinceps, sequentibus aliquot quæstionibus, de Esse morali eorundem agit; non tamen simul & continua serie omnia, quæ ad bonitatem & malitiam Angelorum, pertinent persecutus; sed plura ex iis, quæ nimirum ad bona vel mala eorundem studia erga res creatas, ac præcipue hominem pertinent, ad tractationem de Gubernatione diuina retulit, ubi sex quæstionibus à quæstione 109. usque 114. de hoc argumento tractat. Sed quia nihil cause est, cur, peculiaris tractatio de diuina gubernatione à nobis instituat; vti nec in scholis sub proprio titulo hæc res communiter tractari solet, quando ea, quæ ad illam pertinent; ex declaratione ipsarum causarum secundarum, actionumque & virtutis earundem, satis intelliguntur; idcirco nos ea, quæ Angelos concernunt, ad hanc ipsam tractationem, de Angelorum moribus adeoque bonitate & malitia eorundem, velut ad proprium locum reuocabimus.

Quod vero ad præsentem dubitationem attinet, merito ea, quæ de gratia Angelorum propo- sita est quæstio, primum in hoc argumento locum sibi vendicat; quandoquidem gratia est fundamentum omnis bonitatis morali, saltem eius, per quam creatura intelligens ad supernaturalem finem & beatitudinem ordinatur; de qua bonitate hic potissimum agimus; nam de bonitate morali ac mere naturali eorundem satis egimus supra quæstione quarta, dub. primo, cum de voluntate, actibusque voluntatis eorundem ageremus. Ad considerationem vero de gratia Angelorum, refertur etiam ea quæstio, quisnam fuerit Angelorum in prima eorum conditione status, quoad gloriam.

Assertio I. Angeli non fuerunt creati in beatitudine supernaturali, sed naturali tantum. Prima pars est communis & constans omnium Doctorum sententia cum Magistro in 2. distin. 4. & 6. & Sancti Thomæ hic quæstio. 62. articulo primo. Et aperte colligitur ex eo; quia ex eis quidam peccarunt, alii saltem peccare poterant; cum tamen ad veram & supernaturalem beatitudinem, in visione Dei positam, spectet immutabilitas & perpetuitas, adeoque & peccandi impotentia; nec vero etiam absque miraculo, visio Dei semel inchoata desinere possit; cum sit natura sua perpetua, vt suo

loco

loco tomo 2. dicitur. Idem docent communiter SS. Patres referendi dub. seq. & consensit Augustinus in libr. de corrept. & gratia capit. decimo, ubi ait: *DEVM sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratie beneficium.*

5 Ex quo loco explicanda sunt alia quædam obscuriora loca eiusdem Augustini, in quibus indicatur Angelos, saltem bonos, in beatitudine supernaturali fuisse creatos: loquitur enim duntaxat de beatitudine imperfecta, qualis etiam Viatoribus sanctis in hac vita nonnunquam à sanctis tribuitur. Neque Sanctus Augustinus, ut vult Suarez hic lib. 5. cap. 2. num. 13. vspiam docuit, Angelos in primo instanti creationis habuisse cognitionem rerum in Verbo, seu matutinam; sed solum primo die; post cognitionem vespertinam, ut ex Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 7. & 9. colligit idem Suarez loc. citat. tamen Sanctus Thomas hic cit. articulo primo ad tertium, & alii nonnulli Theologi distinguunt duplicem cognitionem rerum in Verbo, naturalem & supernaturalem, quod Suarez putat non satis consonum Augustino. Alii vero vt Gregorius de Valentia disputat. 5. quæstion. 2. pun. 2. & Molina. Tractat. de oper. sex dier. putant, Augustinum hac in re non satis sibi constare. Certè mentem Augustini ea in re certo assequi difficillimum est; nec est operæ pretium operose insequi; Quando præsertim eius fundamentum ex cap. primo Genes. de operibus sex dierum disputat. sequen. quæst. 1. dub. 4. reselleretur.

Cætera loca sigillatim bene declarat Vasquez hic disputat. 226. cap. 3. & 4. & Suarez citat. capit. secundo, contra Ludouicum Viuem, qui illud lib. vndecimo de ciuit. cap. nono, sanctos Angelos nunquam esse peregrinatos à Domino, intelligit de peregrinatione viæ, existimans proinde sanctos Angelos semper vidisse Deum: cum potius sit intelligendum de peregrinatione per elongationem à peccato, quomodo filius prodigus peregre profectus est à Patre. Luc. 15.

6 Secunda pars assertionis traditur à Sancto Thoma eodem articulo primo, & patet ex dictis quæst. 4. dub. vlt. ubi de naturali beatitudine Angelorum egimus, contra Vasquez citat. disput. 226. capit. 2. Nec obstat, quod omnis ea felicitas naturalis esse potest cum summa miseria peccati, ut obiicit Vasquez loc. cit. Primo enim hoc verum non est in Angelis, in quibus suavis illa & perennis contemplatio Dei secundum se, simul cum dilectione naturali eiusdem, non fuit, nec moraliter esse potuit post peccatum. Deinde etiam si id verum esset, id tamen nihil referret; quia propterea additur; eam esse naturalem solum beatitudinem, quæ non excludit omnem capacitatem defectus in natura, defectibili; nec adeo etiam statum perfectæ & completæ beatitudinis habet, ut loco citato diximus.

7 Assertio II. Omnes Angeli tam boni, quam mali, fuerunt creati in gratia habituali sanctificante. Ita verior, & nunc communis Doctorum sententia, quam speciatim tradunt Sanctus Thomas hic quæst. 62. articulo secundo, Caietanus, Molina, &

omnes Thomistæ ibidem; item Albertus 2. part. sum. tractat. 4. quæst. 18. memb. 1. Durandus in 2. distin. 4. quæst. 2. Capreolus quæst. 1. art. 3. ad 1. Ariminenfis quæst. 1. artic. 3. Maior quæst. 1. Holcoth in 2. quæst. 3. Clitovæus comment. in Cyrill. lib. 6. in Ioann. cap. 6. Gregorius de Valentia. quæst. 13. pun. 1. Vasquez disputat. 227. capit. 2. Suarez hic lib. 5. cap. 3. tamen si olim non pauci, de malis Angelis contrarium docuerint, speciatim. Rupertus libro primo in Genes. cap. 16. Antistodorenfis lib. 2. sum. tract. 1. cap. 1. Bonaventura in 2. d. 4. artic. 1. quæst. 2. Richardus artic. 2. quæst. 2. Argentina quæst. 1. artic. 2. Egidius quæstion. prima; articulo quarto. Marsilius in 2. quæstion. 4. articulo primo. Bassolis quæst. 1. artic. 3. Henricus quodlib. 4. quæstion. decima, nec obscure ipsemet Magister in 2. d. 3. cap. 6. & distin. 5. capit. 2. eandemque probabiliorem censent Aletis 2. part. quæst. 19. mem. 2. & Henricus quodlib. 4. quæst. 10. & ser. Scotus in 2. d. 5. quæst. 1. ubi in hanc denique magis inclinât, tamen si antea priorem sententiam defenderit. Eandem problematicè defendit Gabriel in 2. distin. 4. quæstion. prima, articulo secundo, & quibus etiam plerique dicunt, nec ipsos quidem Angelos bonos fuisse creatos in gratia sanctificante; licet omnes in eam concedant, non defuisse Angelis etiam malis auxilium gratiæ actualis sufficientis, qua ad Deum supernaturaliter conuerti possent, ac se ad gratiam sanctificantem disponente; quam etiam re ipsa boni postea fuerint consecuti.

8 Probatur assertio primo, ex scriptura, quæ licet hoc non aperte tradat, multum tamen fauet, præsertim ex communiori Patrum interpretatione. Talia loca sunt hæc Isai. 14. v. 12. *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oribaris.* Ezechiel. 28. v. 12. *Tu sicut aculeum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore. In delictis paradisi fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Tu Cherub extensus & protegens, & posuisti te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Quo modo etiam hæc loca intelligit Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 15. Nec obstat, quod prior locus Isaiæ de Nabuchodonosore Rege Babylonis, posterior Ezechielis, de Rege Tyti, ad litteram intelliguntur; quia simul nihilominus, etiam literalis sensu, & quidem magis principaliter intento, recte etiam de Lucifero intelliguntur, uti in simili sæpius in psalmis, & in Iob accidit.*

Huc spectat illud Iob. 4. v. 18. *Ece qui seruiunt ei, non sunt stabiles; & in Angelis suis reperit prauitatem.* Et Ioann. 8. v. 45. *In veritate non fecit.* Hoc enim merito ad gratiæ perseuerantiam refertur, iuxta consuetam scripturæ phrasin Rom. 5. v. 2. *Habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide stas.* Et cap. 14. v. 4. *Domino suo stat aut cadit. Scabis autem.* 1. Corinth. 10. vers. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 2. Corinth. 1. vers. 24. *Nam fide statis.* Gal. 5. v. 1. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.*

Denique huc spectat illud Iudæ v. 6. *Angelos vero, qui non seruauerunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magis Dei, vinculis*

- atervis sub caligine reservavit. Quæ loca in hunc sensum etiam interpretantur Sancti Patres apud citatos.
- 9 Secundo probatur assertio ex SS. Patribus, qui ita communiter sentiunt, speciatim Basilius in illud Psal. 32. *Et spiritus oris eius*, Hieronymus in c. 3. *Osee*, & in illud Iob 4. *Et in Angelis suis reperit pravitate*, Theodoretus lib. quinto, hæret. fab. cap. de diabolo. Augustinus (etsi obscure locutus alibi) lib. decimo, de civit. cap. nono, & de corrept. & grat. cap. decimo. Prosper lib. primo de vit. contempl. capit. tertio. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. vel 25. Isidorus lib. 1. sent. cap. 12. Damascenus lib. 2. de fid. cap. 3. Anselmus lib. de casu diaboli cap. 4. 17. & 27.
- 10 Tertio probatur ratione. Tum quia primus homo fuit creatus in gratia, iuxta illud Eccles. 7. y. 30. *Deus fecit hominem rectum*; & Concil. Tridentinum sess. 5. can. 1. Non est autem credibile, minus a donis supernaturalibus instructum fuisse Angelum, quam primum hominem. Tum quia decebat utrosque quam primum statui in via, qua tendere possent ad ultimum finem; id autem fit per gratiam sanctificantem. Tum quia valde consentaneum est rationi, credere, etiam Angelos malos quandoque fuisse intrinsece ordinatos ad supremam beatitudinem; alioquin enim ab ea non excidissent. Ergo aliquando habuerunt gratiam supernaturalem: neque tamen eam acceperunt primum post creationem, cum eam mox post creationem perdidissent. Ergo in ipsa creatione: Denique Angeli etiam mali in primo statim instanti sufficientem habebant dispositionem ad gratiam, ut dicitur assertio seq.
- 11 Nec in contrarium sunt alicuius momenti argumenta. Illud Ioannis Papæ epist. ad Isaac Syracus. ut habetur 16. quæst. 2. Can. 1. *Doler fati (dæmon) & erubescit, charitatem, quam in celo nequius habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terra, intelligendum est, de constanti & perfecta possessione charitatis in coelis, ut recte glossa ibidem. Quo modo etiam glossa can. ult. de pœnit. distin. 2. exponit verba quædam Gregorii obscuriora ex lib. 32. Moral. cap. 18. vel 25.*
- 12 Assertio III. Angeli acquisierunt gratiam propria dispositione, quam in eodem instanti creationis habebant. Prior pars quoad bonos Angelos, est communis Doctorum, præcipue eorum, qui dixerunt, Angelos non fuisse creatos in gratia, quos retulimus assert. præceden. Tota vero simul assertio est plane sententia Sancti Thomæ quæst. 62. art. 6. & quæst. 95. art. 1. ad 5. quam ita etiam tradunt & sequuntur Caietanus 2. 2. quæst. 24. artic. 3. Ferrariensis 3. cont. gent. cap. 110. Gregorius de Valentia quæst. 13. pun. 1. Vasquez disput. 228. cap. 1. Suarez hic lib. 5. cap. 8. tamen si oppositum sentiant Alensis 2. part. quæst. 29. mem. 1. artic. 7. Hugo de S. Victore in summ. tract. 2. cap. 2. & Henricus quodlib. 8. quæst. 10. item Capreolus in 2. d. 4. Sotus lib. 1. de grat. cap. 5. & Molina hic quæstio. 62. artic. 3. quorum primus frustra putavit, Angelos non potuisse in primo instanti operari; duo sequentes, non potuisse libere operari; quartus & quintus, non potuisse supernaturaliter: quod aliquan-

do etiam existimavit Sanctus Thomas quæstio. 16. de malo artic. 4. ad 3. sed postea in 1. parte loco citat. & quæst. 63. artic. 5. ad 4. expresse contrarium docuit: Molina vero non aliud habet fundamentum; quam quia putat, gratiam saltem prius natura datam fuisse Angelis, quam operarentur; cum tamen oppositum sit verius, ut dicemus.

Probatur assertio. Tum quia verius est, Angelos in primo instanti habuisse actum supernaturalem dilectionis Dei, ut dicitur dub. seq. actus autem talis, qui simul est cum infusione gratiæ, in nobis est dispositio ad gratiam; abstrahendo iam, verum is ipse actus simul procedat à gratia sanctificante, an non: Ergo etiam in Angelis. Tum quia, convenientius est, creaturam intellectualem liberam in operando, non ordinari intrinsece & habitualiter ad finem supernaturalem, nisi interueniente libero ipsius consensu.

Porro ad eliciendum talem actum, Angeli, non minus quam nos, indigebant auxilio supernaturali Dei, ut recte Sanctus Thomas quæst. 62. articulo secundo, ex certa & communi; quicquid nonnulli sine fundamento quoad hoc discernunt inter Angelos & homines constituent, quos merito refellunt Vasquez loc. cit. cap. tertio, & Suarez loc. cit. c. 9. n. 2.

Assertio IV. Non omnes Angeli æqualem gratiam acceperunt, sed maiorem vel minorem singuli, pro maiore vel minore perfectione naturali specifica. Ita Magister, & alii Doctores communiter in 2. dist. 3. S. Thomas, Caietanus, Molina, & recentiores Thomistæ hic quæst. 62. artic. 6 & 2. q. 34. a. 3. ad 3. Gregorius de Valentia quæst. 13. pun. 3. Vasquez cit. disp. 228. cap. 2. & Suarez hic lib. 5. cap. 10. ex communi, adeo ut Vasquez neget, se legisse qui oppositum doceret, tamen si Suarez numero septimo existimet, hanc sententiam non esse certam.

Probatur tamen assertio primo auctoritate. Idem enim satis perspicue docent Dionysius capit. 6. & 7. cœl. hier. Basilius lib. de spiritu Sancto cap. 16. Damascenus lib. 2. fid. cap. 3.

Secundo idem etiam probatur à S. Thomæ duabus rationibus. Prima; quia decebat Deum, vel ut sapientem Architectum, ut eas creaturas intelligentes, quas per se & speciali intentione secundum naturam magis elaboravit, & in altiori ordine constituit, etiam ad nobiliorem statum & conditionem supernaturalem destinaret; ita ut sicut tota natura Angelica est euecta ad gratiam & gloriam, ita etiam gradus & species diuersæ ipsius naturæ ad varios & diuersos gradus gratiæ & gloriæ destinarentur. Quemadmodum cum ædificator lapides aptat ad construendam domum, hoc ipso quod aliquos elegantius ac maiori artificio perpolit, videtur eos ad honoratiorem partem domus destinare. Alia est ratio perfectionis individualis in homine, cuius diuersitas non ita per se intenta est, ut docet idem Sanctus Thomas citat. articulo sexto ad tertium.

Secunda ratio est. Quia cum Angeli nullâ repugnantiâ passionis, seu appetitus alicuius inferioris impediuntur, ut inter homines accidit, verisimile est, eos, quo perfectioris erant naturæ, eo perfectius quoque

cum auxilio maiori Dei ad Deum se conuertisse; ut ita inæqualitas gratiæ simul & inæqualitas naturæ, & dispositionis responderet; cum hoc tamen discrimine, quod ipsa perfectio naturæ per se spectata, nullo modo esset causa gratiæ ipsis collatæ, ut recte declarat Gregorius de Valentia. Vasquez; nisi forte materialis & remota, per modum occasiōis & motiui ad dandam maiorem gratiam actualem, ut notat Suarez cit. cap. 10. num. 9. An vero etiam soli maiori perfectioni indiuiduali (qualem quoque in Angelis dari verius censuimus, etsi neget S. Thomas) maior gratia respondeat, non ita certum est; tamen etsi prior ratio, ad hoc affirmandum, non magnum momentum habeat, probabiliter tamen aliquid adfert ratio secunda; ut consideranti patebit. Quocirca etiam auctores indiscriminatim de maiori perfectione naturali loquuntur. In qua re, etiam discrimen esse potest inter hominem & Angelum; quia maior perfectio indiuidua in homine aut nullo modo, ut quidam existimant, aut non tota, oritur ex maiori perfectione ipsius formæ per se & principaliter intentæ; sed ex varia & diuersa dispositione corporis; que ex varia vi aut applicatione causarum secundarum oritur; cum tamen omnis diuersitas perfectionis in Angelis sicut à solo Deo efficitur, ita etiam ab eodem per se videatur intenta.

17 Atque ex his colligitur primo, non solum Angelos omnes fuisse creatos cum virtutibus Theologicis, nimirum fide, spe, & charitate; itemque cum cæteris virtutibus infusis, quæ Angelis conuenire possunt; cum omnes istæ virtutes sint indiuiduæ comites charitatis & gratiæ: sed etiam Angelos omnes re ipsa eliciuisse statim à principio suæ creationis liberos actus fidei, spei, & charitatis; cum hæc sint dispositiones necessariae ad gratiam habitualem consequendam, ut suo loco de gratia docetur.

De fide expresse docent S. Thomas quæst. 18. de verit. art. 2. & in 2. 2. quæst. 5. artic. 1. & omnes Commentatores ibidem, item Albertus 2. part. sum. quæst. 20. memb. 2. Viguerius Instit. cap. 20. §. 1. vers. 4. Turrecremata lib. 1. de Eccles. cap. 2. 5. num. 1. Ruardus artic. 2. & 8. & Suarez hic lib. 5. cap. 5. à num. 6. etsi fidem in Angelis fuisse negarit Durandus in 3. distin. 23. quæst. 9. à num. 127. cui sententiæ fauent etiam Alensis 3. part. quæst. 64. mem. 8. Bonauentura in 3. dist. 23. artic. 2. quæst. 3. Gabriel d. 23. quæst. 9. Scotus quæst. 4. & quoad supremum Angelum aperte etiam consentit Paludanus q. 4. Mouentur præcipue; quia Angeli habuerunt euidentiam rerum fidei, saltem in reuelante seu attestante.

Sed hoc non obstat; quia assensus fidei non propterea nitebatur ipsa naturali euidentia signorum, quibus reuelatio manifestabatur; sed solum auctoritate supernaturali Dei reuelantis, ipsa vero illa euidentia signorum solum habebat se per modum conditionis proponentis obiectum fidei, idque credibile efficientis; qua de causa etiam assensus fidei & multo certior erat, & natura sua excellentior (utpote supernaturalis quoad substantiam) quam iudicium illud naturale euidens, de reuelatione à Deo facta, ut recte etiam docet Suarez hic citat. cap. 5. à num. 16. & suo loco de fide pluribus docui 2. 2. q.

5. art. 1. ubi etiam addidi alium modum hanc veritatem defendendi, si nempe dicamus, Angelos præter reuelationem hanc euidentem, habuisse etiam aliam ineuidentem reuelationem aliis signis factam, de quo suo loco plura tomo 3. disp. 1.

18 Quæri hic posset, quos actus fidei, & circa quæ obiecta fidei assensum elicerint Angeli viatores. Sed quia res hæc ad alias materias spectat, breuiter dico, habuisse fidem explicitam non solum Dei, finis ultimi & remuneratoris supernaturalis, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 5. a. 1. nec solum Trinitatis mysterii, ut habet communis Doctorum sententia; sed etiam Incarnationis quoad substantiam, ut cum S. Thoma 1. p. q. 64. a. 1. ad 4. & in 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 1. & in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 4. & opusc. 1. cont. errores græc. cap. 26. & comment. ad Ephes. 3. lect. 3. docent plures Theologi, non solum ii, qui dicunt, Angelos peccauisse ex inordinato appetitu & inuidentiâ hypostaticæ vnionis, &c. sed etiam alii, quos sequitur Suarez cap. 6. à num. 9. tametsi contrarium dixerint Marsilius 2. part. quæstion. 26. mem. 1. & Gabriel in 2. distin. 9. quæst. 2. artic. 3. dub. 4. Et cohæret ea doctrina cum eo, quod thesi 73. de Incarnat. docuimus, Christum esse caput Angelorum etiam secundum influxum gratiæ. De qua re plura in 3. parte.

## D V B I V M II.

*De via & statu Angeli boni: quæ nimirum ratione, quotque & quibus instantibus seu morulis peruenerit ad gloriam.*

S. Thomas 1. p. q. 62. a. 4. 5. 7. 8. 9. & q. 63. a. 6.

1 DE hac re conuenit inter Doctores, & certum est primo, Angelos bonos vere fuisse promeritos suam beatitudinem, ut docet S. Thomas hic q. 62. a. 4. & Magister in 2. dist. 5. cap. ult. & est doctrina S. Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 11. & communis aliorum Patrum, in quibus Gelasius in disput. contra Pelagium, Prosper lib. 1. de vit. contemplat. cap. 3. Fulgentius lib. de fid. ad Pet. cap. 3. Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 10. Gregorius homil. 7. in Ezechiel. Anselmus de casu diaboli cap. 6. 13. 14. 15. & 24. & Rupertus lib. de Timore Dom. cap. 7. Ratio huius rei communis est Angelo cum homine: quia & generalis illa lex Dei, *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, æque ad utrosque pertinet: & consentaneum erat, ut creaturis ratione videntibus nec vltima beatitudo, nisi per modum præmii, nec præmium sine labore & certamine tribueretur.

2 Secundo conuenit inter Doctores Scholasticos, etsi certum admodum fortasse dici non possit, viam Angelorum tam bonorum, quam malorum, non admodum diuturnam fuisse, ut cum S. Thoma q. 62. a. 5. & q. 63. art. 6. ex communi tradunt Gregorius de Valentia hic q. 13. pun. 2. & alii inferius citandi. Quod etiam non obscure colligitur ex scriptura indicante, diabolus nec diu in veritate & gratia ste-